12.

AVE MARIA:

CONCLUSIONES THEOLOGICÆ PRO COMMITIJS PROVINCIALIBUS BOETICIS COELESTIS ORDINIS SANCTISSIMÆ TRINITATIS REDEMPTIONIS CAPTIVORUM

Hiſpali defenſandæ diebus X. & XI. Menſis Maij Anni Dñi. MDCCLI.

GRANATÆ PER JOANNEM PALOMARES in Typographia Religioſi Cœnobij SS. Trinitatis, & Redemptionis Captivorum.

AVE MARIA.

HUMANO ACUMINE INATTINGIBILI ARCANO,
Angelica cognitione Superiori Mysterio,
QUOD IPSIUS PLURIMA LUCE MORTALIBUS
redditur inaccessibile,
CUJUS PELLUCIDUS OBTUTUS SUMMÆ EST
possessio fœlicitatis.
IMMUTABILI MOTORI,
OMNI VISU CLARIORI, PURIORI OMNI TACTU,
mente omni, suam si demas, majori:
QUI CUM DICITUR, DICI NON POTEST,
cum æstimatur non potest æstimari, cum definitur,
ipsa crescit definitione.
ADMIRABILI TRIPLARI NUMERO,
Trinæ increati fontis perenni scaturigini,
CUJUS TRIAS NON FACIT CUM
monade divortium,
CUJUS TRINITAS NON INIT CUM
vnitate certamen.
TRIPLICI FœCUNDISSIMO BONORUM FLUMINI
ab alio aquas non emendicanti,
CUJUS TRIPLICITATE INFINITA SOLUM
potest cor nostrum triangulare repleri.

SUPREMO NUMINI
MAJESTATIS FULGORIBUS MORTALIUM
oculos hebetanti:
AD QVO POTENTIOREM DEVM PALMAS
stultitia Gentium non tetendit:
QVO CLEMENTIOREM THESTORIDIS
passeres non augurarunt, nec sublimiorem obtulit
dormitantibus somni Satelles.
PRIMO SANCTITATIS AUTHORI,
cui, vel æqualis, Ethnicos subterfugijs Divinitas;
QVO FORMOSIOREM NEC VATVM COMmenta adumbrarunt, nec stultorum effinxere
deliramenta.
VERE JUSTO, FORTI VALDE
in quo maxima, quam in luteis Semi-Dijs Therapnæa
credidit vecordia, emicat fortitudo;
NEC DESIDERATVR SAPIENTIA, QVAM
in Numinibus innumeris Ausonia est venerata superstitio:
IN QVO PELLVCENT VIRTVTES, QVAS
de cariosis idolis Dorica falsè decantavit garrulitas.
INCOMPREHENSIBILI SÆCVLORVM REGI,
cui immortalitas vitam, & locum præstat
immensitas;
CVJVS DOMINIVM ÆTERNVM, CVJVS IMperium immensurabile, cujus Sapientia universa scibilia
amplectitur, cujus potentiæ omnia subijciuntur possibilia.

5 206

NOSTRÆ CHRISTIANÆ FIDEI LYDIO SILICI;
Divino triangulari stabilimini, quô Catholica erigitur spes;

VIVACISSIMÆ CHARITATIS
Lapidi Magnetico,

ET, NE ORESTEM DESCRIBERE VIDEAR,
Terrestris ingenij stupori, admirationi Seraphicæ Scientiæ.

BREVIUS: TER OPTIMÆ, TER MAXIMÆ
Individuæ,

ET SS. TRINITATI

THESES HAS THEOLOGICAS PRO COMMITIJS
Bœticis Provincialibus ejusdem SS. Trinitatis
Cœlestis Ordinis

FOELIX DICAT, EX ANIMO APPENDIT, EX
corde Sacrat

P. FR. ANTONIUS
DE LA CHICA

IN ALMO GRANATENSI COENOBIO PHILOSOphiæ Lector,

SIC, QUA PAR EST REVERENTIA, ET DECET VENERAtione Pelagus infinitæ perfectionis, immensique alloquens Majestatis.

HAUT

HAUD INCONSULTO, O SEMPER AUGUSTA, & veneranda Trinitas, dum de Scientia assertiones, tamquam Scholæ nostræ specimen, theseramque nobilissimam ante scientiarum omnium diademate redimitos Patres, & coram ob singularem eruditionem venerando congressu, quem in suum habitaculum, & domicilium scientia videtur elegisse pro viribus deffensandas arripio, tibi omnium scientiarum matri, & immenso sapientiæ pelago consecro, vt, & eò vnde hæc scientiarum profluenta exierunt, revertantur, sitque non solùm possibile, verùm, & factum appareat, quod aliquis de impossibilium judicavit numero, quod nimirum in caput alta suum vertantur flumina; & sacrificium adorata Sapientiæ, ejusdem in nostræ Provinciæ Bœticæ regimen faustissimum rivulos copiosos effundas, cujus enim Sapientia Trina altera Moyse, Aarone altero Ministris fundamenta posuit, tutam, incolumem, auctam, in supremam denique evectam fœlicitatem servabit in ævum, si Sapientiæ Virgâ, & sapientis manu, tractari, fecerit, gubernata. Quid enim ita, facilè non exequatur; si vel prædura saxa contingat, aquam elicit, si mare effervescentibus vndis intumescens, vel vnico percutiat ictu, & dividit, & obsequens facit, Soles revocat, fugat nubes, tranquilat ventos, portenta patrat, rebelles quatit, mittes protegit, omnes regit: Virgam ergo Sapientiæ, Virgam Vigilantem, audientem, solicitam, providam, omnibus

de-

deniquè virtutibus ornatam nobis Trias summa, Unitas Trina, Trinitas Sapiens concedas, in votis, in appensis, exiguis licèt, muneribus est, tu sola scientiarum caput, & origo, ad te igitur hæc de scientia revertantur flosculæ, vt in nostræ Provinciæ hortulum descendens, & dignè pascaris, & flosculæ colligas Observantiæ, pariter, & Sapientiæ, dum ego sub tuæ, & si inaccessibilis, lucis protectione Minervale hoc certamen aggredior, in quo tantis sub auspicijs lætiores exitus confidenter spero, & dum confidenter spero, non me fallet oppinio.



QUAM

QUAM EX SUBJECTIS CONCLUSIONIBUS quisque maluerit Sapientissimus impugnare illi defensandam suscipimus.

SCHOLÆ SCIENTIÆ MEDIÆ SPECIMEN.

1 DEO. M. EXISTERE, EST DE FIDE, ET LUMINE naturali demonstrari potest.

2 Essentia phisica Dei Theologicè sumpta in prædicatis omnibus stat absolutis, non in relativis.

3 Essentia Dei metaphisica non stat in aggregato Omnium attributorum.

4 Non stat in intellectivo, aut volitivo radicali proximo.

5 Non stat in intellectione, aut volitione actuali.

6 Stat prout contraposita creaturis in esse ens à se realiter.

7 Stat prout contraposita ad alia divina prædicata in esse Ens omninò à se.

8 In Deo datur Scientia strictè talis respectu omnis scibilis.

9 Ratio quâ D. Thom. probat dari in Deo Scientiam non est demonstrativa.

10 Non datur in Deo simplex aprehensio alicujus veritatis.

11 Scientia Divina non est formaliter ex natura rei distincta à substantia, & esse Dei.

12 Stat in Deo vera, & realis potentia intellectiva, seu intellectus per modum actus primi respectu intellectionis tam necessariæ, quàm contingentis.

13 Hæc potentia intellectiva, & actus primus non est realiter formaliter productivus, aut receptivus intellectionis.

14 Stat in Deo vera ratio habitus scientifici ab imperfectionibus depurati.

15 Stat similiter in Deo ratio memoriæ.

Ob-

16 Objectum materiale divinæ Scientiæ est omne cognoscibile.
17 Solum ens increatum est objectum materiale primarium divinæ Scientiæ.
18 Deus completè sumptus, & non tantum secundùm rationem Essentiæ est objectum materiale primarium divinæ Scientiæ.
19 Complexum ex Deo, & creatura, sive ex ente infinito, & finito non est extensivè, aut intensivè magis, sed infinitè minus perfectum; quàm solus Deus.
20 Neque essentia divina, neque divina attributa se habent, vt objectum formale motivum, quod per modum speciei impressæ moveat intellectum divinum.
21 Essentia divina, divinaque prædicata tam necessaria, quàm contingentia sunt objectum formale motivum determinativum cognitionis divinæ, quà in se cognoscuntur.
22 Omnis veritas creata est objectum formale intentionaliter determinativum divinæ cognitionis sibi correspondentis.
23 Deus cognoscit relationes divinas in sua essentia; essentiam in relationibus, & vnam relationem in alia.
24 Deus se cognoscit in creaturis.
25 Deus cognoscit possibilia in se ipsis.
26 Futuritio formalis rei contingentis purè futuræ non stat formaliter in Decreto aliquo.
27 Neque stat formaliter in Scientia visionis.
28 Stat futuritio formalis rei contingentis purè futuræ sufficienter adæquatè constitutivè in complexo successivo carentiæ existentiæ rei *pro nunc*, & ejusdem rei existentia *pro postea*.
29 Propositiones singulares de futuro contingenti absoluto habent determinatam veritatem, aut falsitatem determinatam independenter constitutivè ab aliquo existenti nunc connexo cum eventu futuro.
30 Deus cognoscit futura contingentia in se ipsis.
31 Magister Angel. D. Thom. expressè tenet Conclusionem antecedentem 1.p.q.57.art.3. in corp. & q.86. art.4. in corp. etiam in 22. q.171. art.6. ad 2. & q.174. art.1. in corp.
32 Eamdem divinam futurorum contingentium cognitionem in se ipsis tenet idem Angel. in 1. dist.38. q.1. art.5. cui titulus, *Vtrum Scientia Dei sit contingentium.*

33 Nihil creatum movet intellectum divinum per modum speciei impressæ.

34 Cunctæ veritates objectivæ distinctæ à cognitione divina sive realiter, sive formaliter, & quæ sint, aut purè contingentes ipsi Deo contingentia independente à libertate divina, & creata, aut quæ sint contingentes ipsi Deo contingentia electionis, & libertatis, sivè divinæ, sivè creatæ habent aliquam præcedentiam objectivam, & in eo genere objectivum influxum ad divinam Scientiam sibi formaliter correspondentem.

35 Scientia Divina dividitur in naturalem, sive necessariam, liberam, & inter vtramque mediam.

36 Dividitur etiam in scientiam simplicis intelligentiæ, & visionis.

37 Scientiam simplicis intelligentiæ esse practicam in virtute, & in actu primo, & non posse esse practicam actualiter, & in actu secundo repugnat.

38 Scientia simplicis intelligentiæ est practica, & causa rerum simpliciter actualiter, & immediatè in genere directivo.

39 Omnis scientia divina in aliquo vero sensu potest appellari scientia visionis.

40 Scientia Dei prout repræsentat divinam essentiam, & amorem necessarium non est ipsius notitia practica.

41 Scientia Visionis necessaria, quà Deus se, & sua cognoscit potest esse practica, & causa rerum.

42 Scientia dici potens Visionis Deo non libera, at ipsi contingens est practica, & causa rerum.

43 Scientia Visionis absoluta alicujus objecti sive Deo liberi, sivè creaturæ potest esse practica respectu alterius sive liberi Deo, sive creaturæ.

44 Nulla Scientia Visionis rei est necessariò causa immediata ejus.

45 Scientia Visionis absoluta, quà Deus videt rem in decreto intentivo efficaci (hoc dato) potest esse causa remota rei.

46 Nihil distinctum à Deo quomodocumque acceptum habet rationem divinæ ideæ propriè, & strictè aceptæ.

47 Esse Divinum prout est actualis intellectio repræsentans Deo rem operabilem, & modum quò operabilis est habet adæquatè, & vnicè rationem formalis, & propiæ ideæ Divinæ.

48 Non datur futuritio secundum quid, sive signi, aut rationis.

49 Deus cognoſcit futura contingentia abſoluta in quocumque medio metaphiſicè, & infalibiliter connexo cum futuris abſolutis contingentibus. 249

50 In nullo medio abſolutè indiferenti ad futurum abſolutum contingens poteſt Deus abſolutè cognoſcere illud, niſi fiat ejuſdem ſuppoſitio.

51 Inter modos, quibus Deus cognoſcit futura contingentia abſoluta, ſcilicet in ſe ipſis, & in alio, primariò cognoſcit in ſe ipſis, & ſecundariò in quovis alio medio objectivo determinante ad eorum cognitionem.

52 Modus conciliandi certitudinem ſcientiæ divinæ cum futurorum abſolutorum contingentia, & creata libertate ſtat in dependentia *à priori*, quam in genere objectivo, & intentionali dicit ejuſmodi ſcientia à ſuo objecto.

53 Futurum conditionatum purè tale *ſtrictiſsimè* illud eſt quod extiturum ſub conditione relatè ad durationem poſteriorem, neque ſub conditione eadem, neque abſolutè de præſenti exiſtit.

54 *Aliqua tamen latitudine* acceptum illud eſt, quod relatè ad durationem poſteriorem extiturum ſub aliqua conditione, ſub ea, non autem abſolutè, de præſenti exiſtit.

55 Futurum conditionatum non purè tale illud eſt quod extiturum relatè ad durationem poſteriorem ſub aliqua conditione de præſenti etiam exiſtit abſolutè.

56 *Non eſſe* conſtitutivum omnis futuri conditionati univerſaliter accepti eſt *non eſſe* de præſenti prout in duratione conſequenti, & poſteriori, ſi poneretur conditio.

57 Ejuſmodi *non eſſe* ſemel quod futurum conditionatum verificetur, ſemper in rebus verificativè datur, ſive hypoteſis exiſtat, ſive non.

58 *Non eſſe de præſenti* clauſum in futuro conditionato purè tali *ſtricto*, aut *lato* non eſt de eſſentia futuri conditionati generaliter accepti.

59 Exiſtentia, aut non exiſtentia hypotheſis abſolutè accidentalis eſt rationi futuri conditionati.

60 Ratio hypotheſis in actu primo proximo ſtat conſtitutivè in aptitudine, & expeditione proxima ad inſeparabiliter ſe habere ab exiſtentia alterius pro caſu ſuæ.

 Ejuſ-

61 Ejusmodi proxima expeditio non stat semper in solis prędicatis essentialibus rei, quæ dicitur hypothesis specificativè sumptis.

62 Ratio hypothesis in actu secundo stat constitutivè in inseparabilitate ab alterius existentia pro casu suæ.

63 Ejusmodi hypothesis inseparabilitas aliquando est adęquatè intrinseca, aliquando inadęquatè tantùm prędicatis hypothesis specificativè sumptis.

64 Ratio conditionati in actu primo proximo stat constitutivè in aptitudine, & expeditione proxima ad se habendum conditionatè sub hypothesi determinatæ conditionalis.

65 Pro casu distinctionis hypothesis, & conditionati ejusmodi aptitudo est conditionato semi extrinseca.

66 Conceptus conditionati in actu secundo stat constitutivè in simultate conditionata eorum, quæ hypothesis, & conditionatum dicuntur.

67 Veritas conditionalis alia est causalis, illativa alia, mixta etiam est, & purè conjunctiva.

68 Stat veritas conditionalis objectiva, quæ illativa non sit.

69 Stat veritas conditionalis purè conjunctiva.

70 Veritas objectiva conditionalis, quà talis, debet præscindere abstatu absoluto conjunctionis hypothesis, & conditionati.

71 Ejusmodi præcisio dumtaxat debet esse pręcisio vniversalitatis, ex qua veritas conditionalis sit conjungibilis pro suo modo cum statu absoluto, & purificatione hypothesis, vel ejusmodi carentia.

72 Futurum conditionatum contingens, & nobis liberum non stat formaliter, & constitutivè in decreto aliquo sive subjectivè, & objectivè conditionato, sive subjectivè absoluto, & objectivè conditionato.

73 Propositiones singulares de futuro contingenti conditionato habent determinatam veritatem, aut falsitatem determinatam.

74 Deus certò, & infalibiliter cognoscit futura contingentia conditionata nobis libera.

75 Sunt discipuli Divi Thomę, qui negaverint ejusmodi futura cogcosci à Deo certò, & infalibiliter.

76 Sunt &, qui falsum, & improbabile duxerint, ejusmodi futura cognosci certò, & infalibiliter in prædeterminatione subjectivè absoluta, & objectivè conditionata.

Fu-

77 Futura contingentia conditionata nobis libera cognoſcit Deus certò, & infallibiliter immediatè in ſe ipſis per ſcientiam contingentem conditionalem Deo non liberam. 250

78 Scientia contingens conditionalis Deo non libera eſt, & debet appellari ſtrictè media.

79 Ejuſmodi ſcientia eſt media inter neceſſariam, & liberam.

80 Scientia media *latè talis* eſt ſcientia contingens conditionalis Deo libera, nullo pręſenti innitens decreto actu exiſtenti.

81 Scientia media conformis eſt Sacræ Scripturæ, Sacris Concilijs, præcipuè Tridentino, & Eccleſiæ Patribus.

82 Hinc juxta Tridentinum gratia adjubans, & cooperans non eſt realitèr entitativè diſtincta à gratia ſuadente, excitante, & dante *poſſe*.

83 Scientiam divinam Mediam docuit M. P. Auguſt. lib. 1. ad Simplic. q. 2. cujus doctrinam approbavit lib. de Prędeſt. Sanct. cap. 4.

84 Non docuit oppoſitum M. P. Auguſt. in libb. de Corrept. & Gratia, & de Dono Perſeverantiæ.

85 Eandem Scientiam Mediam docuit M. P. Epiſt. 49. de ſex quęſt. Pagan. q. 2. plurimiſque alijs in locis.

86 Ejuſmodi Scientiam nunquam retractavit M. P. Nec in cap. 9. lib. de Prędeſt. Sanct. eidem ſcientię oppoſitum docuit, nec ejuſmodi retractationem vnquàm aſſeruit Angel. Magiſt.

87 Doctrina Scientię Medię conformis eſt doctrinę Angelici Magiſtri D. Thomę.

88 Non refragantur Subtilis Mag. & Seraph. Doctor.

89 Excluſio Prædeterminationis phiſicę conformis eſt pluribus Thomiſtis.

90 Doctrina Scientiæ Mediæ conformis eſt Noſtro Solemni Doctori Henrico Gandavenſi.

91 B. V. Maria fuit ſpecialiter inſpiratrix Scientiæ Mediæ.

92 Scientia Media omninò neceſſaria eſt ad Providentiam moralem circa actus noſtros liberos.

93 Ejuſmodi Scientia neceſſaria omninò eſt vt Deus eligat ad gloriam, vt Coronā antè abſolutè præviſſa merita, caſu quò ſic eligat.

94 Ex his: è duobus hominibus ęquali quoad entitatem auxilio præventis poteſt vnus conſentire diſſentiente altero.

95 Determinativum Scientiæ *ſtrictè* Mediæ eſt veritas ipſa objectiva futuri conditionati nobis liberi.

De-

96 Determinativum Scientiæ *strictè* Mediæ non stat in nexu aliquo æterno, & attemperato futuro conditionato nobis libero.

97 Falsum est Scientiam Mediam *strictè* talem non habere, sed habituram fore determinativum.

98 Scientia Media *strictè* talis vnicè determinabilis est in linea determinationis liberæ à libertate creata.

99 Hinc: habens antecedens metaphisicè connexum cum extremo aliquo libertatis, & non potens illud impedire est antecedenter necessitatus ad extremum.

100 Et: carens prærequisito essentiali ad extremum, non habens in sua potestate illud acquirere, non est proximè potens ad extremum.

101 Possibilis metaphisicè est creatura, quæ per Scientiam Mediam prævideatur omnibus auxilijs indifferentibus dissensura.

102 Nullum decretum Dei connexum metaphisicè cum conditionato potest se tenere ex parte hypothesis Scientiæ *strictè* Mediæ.

103 Nihil connexum metaphisicè cum conditionato sive pertinens ad divinum intellectum, sivè ad divinam voluntatem, sivè liberum Deo, sive non liberum, adhuc vagè aceptum, potest constituere hypothesim prædictæ Scientiæ.

104 Quod indefectibile est in existendo, aut antecedenter necessarium in verificando nequit constituere hypothesim adæquatam Scientiæ *strictè* Mediæ.

105 Ex ijs omnibus, quibuscum conjungeretur conditionatum si existeret, quodvis seorsim, & præcisivè ab omnibus alijs, nequit esse hypothesis adęquata Scientiæ *strictè* Mediæ.

106 Præcedens conclusio non tenet in constitutivo libertatis essentialiter afferente reliqua.

107 Tale est Decretum applicativum indifferens, quò Deus absolutè applicat suam Omnipotentiam ad concurrendum cum creatura ex illius determinatione.

108 Scientia Media sive *latè*, sive *strictè* acepta potest attingere ex parte suæ hypothesis alteram Scientiam Mediam.

109 Scientia Media reflexa in tota sua latitudine, & prout præscindit ab *stricta*, & *lata* est objectivè posterior Scientia Media directa, quam per suam formalem hypothesim attingit.

110 Scientia Media reflexa non est aut prior, aut posterior subjectivè Scientia Media directa in linea directiva.

111 Scientia Media reflexa est prior prioritate independentiæ, & in subsistendi consequentia Scientia Media directo attacta per hypothesim formalem.

112 Scientia Media reflexa respectu Scientię Medię directæ, quam non attingit ex parte hypothesis neque est prior, neque posterior vllo prioritatis genere, sed disparato modo se habet.

113 Scientia Media reflexa *strictè* talis in ratione tendentię conditionalis valet ex parte hypothesis attingere,non solum Scientiam Mediam directam, quæ foret, sed etiam, quæ fit.

114 Futura contingentia conditionata sibi libera cognoscit Deus per Scientiam *latè* Mediam.

115 Potest etiam cognoscere per Scientiam simpliciter liberam, & nullo modo Mediam.

116 Scientia contingens conditionalis attingens ex parte hypothesis aliquod exercitium divinum pręcedit immediatè directivè, & illuminativè ad purificationem hypothesis.

117 Hæc assertio est falsa: *Ex principijs Scientiæ Mediæ sequitur Deum non cognoscere futura contingentia conditionata nobis libera.*

118 *TENET ERGO SYSTEMA SCIENTIÆ MEDIÆ TAM AB INTRINSECO RATIONIS, QUAM AB EXTRINSECO AUTHORITATIS.*

Qui dicat supra in Palestram defensaturus descendet in hoc Almo, Regalique SS. Trinitatis Redemptionis Captivorum Hispalensi Cœnobio sub tutamine P.Lect. Jubil. Fr. Francisci Ferron *in ejusdem Religionis, & Bœticæ Provinciæ illustri Granatensi Conventu Primariæ Cathedræ Moderatoris, ac Studiorum Regentis Diebus* X. *&* XI. *mensis Maij, Anni Dñi.* *M.DCCLI.* Vesperè.

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible]

[illegible] Catholicae [illegible]

[illegible]

[illegible]